

Iamvero prima illa Chiliastri forma ne specie quidem tenus in cit. c. XX occurrit, uti superius monuimus; nullum enim ibi verbum de nuptiis, conviviis aliisque huius generis voluptatibus, sed dumtaxat de regno iustorum cum Christo fit sermo: « Sed erunt sacerdotes Christi et Dei et regnabunt cum illo mille annis » (v. 6). — Sed et altera opinionis forma in eo loco non docetur, imo certe excluditur. Siquidem iuxta Chiliastas regnum millenarium post corporam resurrectionem locum habiturum esset; contra vero mille anni de quibus hic loquitur Apocalypsis ante iudicium extremum et ante resurrectionem decurrent. Sane generale iudicium et resurrectio universalis clare describuntur in versiculis 11–13, postquam « consummati fuerint mille anni » (v. 7): et post iudicium statim sequitur gloria beatorum non in terris, sed in coelesti Ierusalem (c. XXI seq.) Quid igitur sunt hi mille anni, et de quo regno hic est sermo? Inter varias interpretum explanationes unam indicabimus, quam Augustinus affert in l. XX de Civ. Dei c. 7, 8 quamque vulgo interpretes sequuntur. Iuxta hanc explicationem mille anni designant totum temporis spatium a Christi morte, vel ut alii volunt a pace Ecclesiae concessa usque ad Antichristi tempora: ac cepto scilicet numero millenario pro indefinito ut saepe fit in sacris Scripturis: « Mille annos, inquit Augustinus, pro annis omnibus huius saeculi posuit, ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo. » Toto hoc temporis spatio diabolus est ligatus: « Et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus et Satan, et ligavit eum per annos mille » (v. 1–3) siquidem virtute Christi passionis et mortis « princeps huius mundi eiectus est foras » ne scilicet Ecclesiam impugnet ultra certos limites a Deo praestitutos. Interim (mille istis annis) Ecclesia propagatur, et de hostibus triumphat, ac iusti qui fuerunt « decollati propter testimonium Iesu, et propter Verbum Dei » (v. 4) regnant cum Christo (ibid.) tum scilicet in coelis ubi beati Deum vident, tum in terris ubi ab universa Christi Ecclesia in honore habentur. Verum circa mundi exitum « solvetur Satanus de carcere suo » (v. 7) idest permittetur toto impetu Ecclesiam Dei adoriri idque « modico tempore » (sup. v. 3); ac talem ac tantam contra illam persequutionem excitabit, qualem nunquam antea Ecclesia experta fuerit. At paulo post et ipse a Christi virtute vincetur et mittetur « in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et pseudo-propheta (alii Ecclesiae hostes

de quibus antea fuit sermo) cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum » (v. 9, 10) et tum demum fiet resurrectio omnium mortuorum (resurrectio secunda) et supremum de iis iudicium (12, 13). — Post haec erunt coeli novi, et terra nova, et in coelesti Ierusalem iusti beati erunt (c. XXI, XXII).

## CAPUT II.

### DE LIBRORUM N. T. CONSERVATIONE ET INTEGRITATE

Parum prodesset scire libros N. T. genuinos esse et a sanctis Christi discipulis conscriptos, nisi certo demonstrari posset eosdem libros incorruptos et integros ad nos pervenisse. Si enim corrupti fuerint, quamvis alioquin a fide dignis auctoribus compositi, hic et nunc auctoritate carerent. Oportet itaque nunc N. T. integritatem ostendere. Huiusmodi demonstratio veluti complementum praecedentis habenda est, siquidem integritatis notio, ut ex dicendis patebit, cum notione genuinitatis aretissime coniungitur, et est eiusdem veluti extensio vel applicatio ad singulas libri partes. Antequam vero ad demonstrationem accedamus, accuratius definienda est notio integritatis, eiusque limites ac gradus designandi, denique status quaestionis et tractationis ordo aperiendus est.

I. Itaque libri alicuius integritas definiri potest: immunitas a corruptione. Corruptio autem in libris triplici modo occurrere potest, vel enim aliquid additur textui auctoris, vel aliquid demitur, vel aliquid immutatur. Prima corruptionis species proprie interpolatio dicitur; interpolare enim apud Latinos erat diversa et aliena alicui rei immiscere, quo sensu interpolatae vel interpoles dicebantur vestes quibus alterius panni segmenta assuta essent. Altera corruptionis species mutilatio dicitur, quia mutilare proprie est aliquod corporis membrum amputare. Ubi tamen notandum est secundam hanc corruptionis speciem aliquando fidem libris non adimere, quando scilicet alicuius loci detractio sensum reliquarum partium non perturbat. Tertia species corruptionis simpliciter corruptio dicitur, vel proprio vocabulo depravatio, quia verborum sensum a genuina et propria auctoris mente detorquet. Attamen huiusmodi appellationum discrimen non semper observatur; et

aliquando nomine interpolationis quodlibet corruptionis genus designari solet. — Cum igitur aliquis liber uno vel altero ex citatis modis vitiatas fuerit, *corruptus* dicitur, *secus* appellatur *integer*.

II. Integritas alicuius libri varios gradus habere potest prout nempe corruptiones tantum maiores excludit, vel etiam minores et minimas. Hinc nonnulli distinguunt in sacris libris, de quibus nunc loquimur, integritatem *dogmaticam*, quam defendunt, ab integritate *critica* quam negant. Verum huiusmodi distinctio, vel potius distinctionis termini non satis accurati videntur. Siquidem ex una parte corruptiones a sacris libris excludere debemus non solum in doctrina, sed etiam in historia, quae magnam Scripturae partem occupat; nam liber aliquis potest esse corruptissimus et ab originario statu omnino diversus, quin tamen falsam doctrinam contineat, aut a mente auctoris alienam. Ex altera vero parte *critica* sacrorum librorum integritas negari nequit ob minimas immutationes, quas forte subierit, cum coeteri libri non obstantibus huiusmodi mutationibus *critice* integri dicantur et sint. Quare melius erit ad gradus integritatis designandos distinguere integritatem tantum *substantiali*, et integritatem *absolutam* seu mathematicam. Nomine integritatis substantialis intelligimus immunitatem a corruptione quae rerum substantiam immutat; nomine vero integritatis absolutae intelligimus immunitatem etiam ab accidentalibus corruptionibus, quae voces et apices respiciunt, salva rerum substantia. Haece declaratis, ut statum quaestionis constituamus, libros N. T. absoluta et mathematica integritate gaudere minime contendimus, sed tantum integritate substantiali. Sane libri ante tot saecula exarati, ab amanuensibus tot successive vicibus transcripti non potuerunt a communi librorum sorte immunes esse, ut nempe sive casu, sive oscitantia scribarum leviores aliquas mutationes subirent nisi supponamus maximum divinae providentiae miraculum. Porro huiusmodi miraculum tum *a priori* admittendum non est, quia superfluum (non enim a vocibus et apicibus pendet fides et animarum salus, quae sunt librorum sacrorum obiectum et finis, sed potius a sensu et substantia rerum), tum *a posteriori* factum non esse constat, siquidem S. S. codices et editiones in minutis quibusdam discrepant. Ceterum huiusmodi leviores defectus non magis S. S. integritati nocere debent, quam optimis quibuscumque profanis libris noceant, qui cum multo plures huius generis mutationes subie-

rint, ab omnibus criticis ut integri et incorrupti habentur. Integritatem igitur *substantiali* librorum N. T. defendendam suscipimus (1).

III. Divisio tractationis. — Libri N. T. duobus modis ad nos pervenerunt, in *textu* scilicet originario, idest in illa lingua, in qua primo a suis auctoribus scripti fuerant, et insuper in variis *versionibus*, idest in diversis linguis, in quas progressu temporis translati sunt. Ut igitur librorum eorumdem integritas in concreto demonstraretur et quibuscumque cavillationibus via praecludatur, proposuimus distincte agere de N. T. integritate 1<sup>o</sup> in *textu* originario, 2<sup>o</sup> in variis versionibus ab Ecclesia probatis praecipue vero in Vulgata latina, qua maxima Ecclesiae pars utitur, quaeque a Conc. Trid. (Sess. IV) *authentica* declarata est. Sit igitur

(1) Si quis subtilius inquireat quanam sint limites inter substantiali et absolutam integritatem, et quid praecise per illam *verum substantiam* intelligendum sit respondebimus difficile esse rem accurate definire; ut tamen aliquid ad mentem nostram aperiri dicamus, animadvertimus vocem illam *substantia* in praesenti quaestione in triplici significatione adhiberi posse: *laxiori* scilicet, *strictiori*, et *media*. Laxior esset significatio si quis vocem substantia referret aut ad *integrum N. T.* aut ad *integrum* quemque *librum*, ita ut integra esset habenda S. Scriptura si totus complexus doctrinae et historiae quae in ea continetur, idem nunc sit ac erat ab initio. Strictior esset acceptio si quis vocem substantia ad *singulos textus* referret, in quos aliqua corruptio irrepit, ita ut si brevis periodus, aut incisum vel phrasim ob illam corruptionem diversum reddat sensum eo ipso *substantialiter* corrupta dicatur S. Scriptura. Prima acceptio sufficere non videtur ad integritatem librorum sacrorum tuendam; posset enim fieri ut in aliquo libro multa resecata fuerint, multa addita, quin tamen liber universim sumptus, et multo minus tota S. Scriptura substantiam suam amiserit, sed hoc in sacris libris admittere non possumus. Contra vero altera acceptio nimis rigida videtur, neque de facto in S. S. ostendi potest, ubi minores quaedam partes, periodi et incisiva diversum substantialiter sensum in diversis editionibus aliquando praesecerunt. Itaque media via incedendum videtur, ut nempe substantia neque ad *integros libros*, neque ad *singulos textus* referatur, sed potius ad *singulos contextus*, qui quidem diversi esse possunt pro varia locorum natura. Pata si de dogmaticis locis sit sermo integrum doctrinae caput erit inspicendum ex. gr. doctrina de corporum resurrectione 1<sup>o</sup> Cor. XV: vel, si sit sermo de historia integrum factum considerandum erit ex. gr. narratio itineris Tobiae, vel facta narrata in libro Iobi, quae si substantialiter eadem permanserint Scriptura substantialiter integra erit, quamvis in hisdem contextibus aliqua leviora adinnecta vel explicationes immutatae fuerint etiam quoad sensum. Haec tamen melius patebunt in Parte III, ubi agemus de *Critica verbali*.

## ARTICULUS I.

DE LIBRORUM N. T. INTEGRITATE  
QUATENUS IN TEXTU ORIGINARIO CONTINENTUR

I. Ostenditur quinam sit N. T. textus originarius.

Libri N. T. generatim *lingua graeca* a sacris auctoribus scripti sunt; si vero unus vel alter alia lingua scriptus est, deperdito iam-primam hoc originario textu, eius graeca versio ad instar textus habetur. Itaque universim statuimus textum originarium librorum N. T. esse *Textum Graecum*.

Libros N. T. generatim graeca lingua fuisse conscriptos nemo in dubium umquam revocavit; neque id sane mirandum est, siquidem auctores N. T. quamvis Hebraei essent, graecam tamen linguam callebant, eademque lectoribus nota erat sive Hebraeis, pro quibus nonnulli ex iis libris conscripti sunt, sive ethnico-Christianis, ad quos maior librorum pars destinabatur. Et ad Hebraeos quidem quod attinet sive auctores sive lectores notum est ex historia inde a tempore Alexandri Magni seu imperii Macedonici, graecam linguam apud Hebraeos vulgarem et familiarem evasisse: occupata enim a Graecis Palaestina, multisque Hebraeorum millibus in Aegyptum abductis, victorum lingua victis addiscenda fuit. Post vero Alexandri mortem, diviso regno, Palaestina ac Syria Seleucidis paruit, atque ita in Graecorum lingua et institutis perseveravit. Postquam vero in Romanorum ditionem Hebraei cesserunt non minus graecae linguae assueti erant, siquidem ea lingua et ipsis Romanis erat familiaris: quare titulus Christi Cruci allixus est scriptus literis *hebraicis, graecis, et latinis* (Luc. XXIII, 38). Ad gentiles autem lectores quod attinet, omnes norunt graecam linguam aetate Christi et Apostolorum per omnes imperii provincias longe lateque fuisse diffusam, ut ex testimoniis Ciceronis, Horatii et Iuvenalis abunde constat (1).— Hanc igitur linguam utpote magis diffusam, ac longe pluribus lectoribus notam quam lingua hebraica vel aramaica nostri scriptores elegerunt ad suos libros pro omnium gentium utilitate destinatos conscribendos.

(1) Cuius indolis sit lingua ista Graeca apud Hebraeos vulgaris qua N. T. scriptum est dicemus in hermeneutica.

Exceptio fieri solet pro duobus libris, Matthaei scilicet Evangelio, et Epistola ad Hebraeos, qui *hebraice* scripti perhibentur, quibus nonnulli addunt Evangelium Marci falso prorsus ab illis latine scriptum existimari; certissime enim textus eius originarius graecus est: 2<sup>o</sup> Epistolam ad Hebraeos, licet a nonnullis hebraice conscripta existimetur, probabilius nobis videri graeca lingua compositam: 3<sup>o</sup> ad Evangelium Matthaei quod attinet certum existimamus, testante hoc universa antiquitate, hebraica (idest aramaica) lingua ex Matthaei calamo produsse. — Tria haec nunc breviter demonstrabimus. 1<sup>o</sup> Marci Evangelium latina lingua scriptum veteres nonnulli critici cum Baronio asseruerunt, ea praesertim ratione ducti quod Venetiis in Basilica S. Marci codex eiusdem Evangelii latinus antiquissimus asservetur, quod *autographum* S. Marci appellare solebant. Praeterea opinionem suam confirmabant ex eo quod, testibus Pappia et Hieronymo, Marcus Romae pro Romanis Evangelium conscripsit. Quare videtur eorum lingua scribere debuisse. — Verum haec sententia excluditur imprimis ex eo quod nemo ex antiquis Patribus aut historicis id unquam affirmavit; imo id aperte negant cum dicunt omnes Evangelistas graece scripsisse, excepto Mattheo, ut ex testimoniis infra afferendis patebit. Ex alia parte rationes ab adversariis adductae infirmae prorsus sunt. Siquidem, ut de altera primum dicamus, Romae et Romanis graeca lingua prorsus familiaris erat; quapropter potuit Marcus non latina lingua, quam forte ignorabat, sed graeca pro iis scribere, quemadmodum e. g. Paulus ad eosdem Romanos graecam epistolam dedit, et Iosephus Flavius opus suum de Bello Iudaico graece confectum Romae scripsit et Romano Caesari (Vespasiano) dedicavit (C. Appian. 1, 9). — Altera vero ratio in falso supposito innititur, codicem nempe Venetum esse *autographum* Marci: cum tamen nunc certissimum sit illum esse exemplar latinae antiquae versionis, et quidem, ut videtur, cum correctionibus S. Hieronymi. Et sane codex Venetus originem habet ab antiquo codice latino Evangelii Marci, qui inde a remotissima aetate Aquileiae asservabatur: ex eo duo postremi quaterniones (cap. XII, 26 usque ad totum caput XVI) anno 1354 ab imperatore Carolo IV extracti sunt, et cathedrali Pragensi donati, ubi adhuc religiose asservantur, et constituunt sic dictum *codicem Pragensem*. Caeterae vero partes ex Aquileia Forumioli migrarunt

(anno 1409), inde postea Venetias (anno 1420) ubi adhuc assertantur et constituunt *codicem Venetum*, de quo nunc loquimur. Codex huiusmodi ita detritus est ut diu eruditi disputaverint graecene an latine conscriptus esset; verum post diligens examen a Montfauconio institutum latinum esse codicem omnes tenent. Eum autem una cum codice Pragensi, cuius pars est, nequaquam autographum esse Marci, sed exemplar latinae versionis ex eo potissimum apparet quod uterque codex extractus fuerit ex ampliori codice quatuor Evangeliorum Foroiulii conservato ubi Evangelium Marci totum deest; id enim ex manu scriptoris, qualitate membranae aliisque criticis argumentis eruditi ostendunt. Cum autem hic codex latinam Evangeliorum versionem, et quidem ex Hieronymi recensione, complectatur (habet enim praefixam epistolam Hieronymi ad Damasum, et Hieronymianas correctiones exhibet), sequitur etiam Marci Evangelium ex eadem versione constare, ne dicamus ipsum beati Evangelistae autographum cum vulgaribus latinae editionis exemplaribus in unum volumen compactum et consutum fuisse. Ex quibus aliisque argumentis concludendum est codicem Venetum ad saeculum V pertinere (1). — 2<sup>o</sup> Ad Epistolam B. Pauli ad Hebraeos quod attinet, in secunda Thesi vidimus plures post Eusebium et Hieronymum eam hebraice scriptam asseruisse: verum horum sententia multum abest quominus critica certa sit. Imprimis enim magna hac de re dissensio apud veteres apparet, cum alii hebraice, alii graece, alii a Paulo alii ab eius discipulis epistolam exaratam affirmant. Deinde illi ipsi qui hebraicum eius textum fuisse dicunt nullam ad hoc probandum criticam rationem adducunt, in traditione scilicet et antiquorum testimonio fundatam, sed per modum coniecturae aut probabilis opinionis illud in medium afferunt eo fine ut facilius difficultatem solvant, quae ex differentia styli eiusdem epistolae ab aliis Pauli scriptis obici solebat; quae omnia ex iis quae in citata Thesi diximus satis aperta

(1) Quae hic brevissime perstrinximus contra Baronium aliosque contrariae sententiae fautores copiose pertractata inventiuntur apud recentiores criticos, inter quos praecipue legendus est Ios. Blanchinius *Evangeliorum quadruplex* P. II *Appendix*, ubi integrum Foroiuliensem codicem supra laudatum exhibet una cum erudita dissertatione Laur. a Turro presb. Oratorii Utinensis, ubi de re nostra copiose disputatur (V. praesertim pag. DXLVIII-DLII).

sunt. Nobis igitur multo probabilius videtur epistolam ad Hebraeos graeca lingua originario prodidisse. — 3<sup>o</sup> Restat igitur Matthaei Evangelium, quod quidem hebraice (idest aramaice) fuisse exaratum libenter admittimus: non enim haec criticorum coniectura est sed vetus et constans traditio, cui nihil solidum ab Erasmo contrariam sententiam tenente, aliisque paucis qui eum sequuntur, opponi unquam potuit. Opera pretium erit praecipua veterum testimonia hac de re in medium adducere, quamvis nonnulla iam alias citata fuerint. Itaque ex Apostolica aetate Papias apud Eusebium (L. III c. 39) aiebat « Matthaeus quidem *hebraico sermone* divina scripsit oracula; » cui concinit discipulus irenaeus inquitens (adv. haer. III, 1): « Ita Matthaeus in Hebraeis *ipsorum lingua* scripturam edidit Evangelii », et non minus clare Origenes (ap. Eus. VI, 25) « Primum scilicet Evangelium scriptum esse a Matthaeo prius quidem publicano, postea vero Christi discipulo, qui illud *hebraico sermone* compositum Iudaeis ad fidem conversis publicavit; » itemque Eusebius III, 24: « Matthaem Evangelium suum *patrio sermone* conscripsisse » affirmat; quin imo in l. V, 40 refert Pantaenum, cum in Indias penetrasset, Matthaei codicem ibidem reperisse *litteris hebraicis* exaratum Apostolicae originis, scilicet a S. Bartholomaeo illuc allatum. Eadem est sententia Cyrilli Hieros. (Catech. 14), Epiphani (haer. 29 et 30) et caeterorum omnium, qui hac de re aliquid scriperunt inter veteres. Quorum traditionem complectens S. Hieronymus in Praef. in quatuor Evangelia ad Damasum absolute pronunciat Matthaem hebraice scripsisse: « De novo, inquit, nunc loquor testamento, quod graecum esse non dubium est, *excepto Apostolo Matthaeo*, qui primus in Iudaea Evangelium Christi *hebraicis litteris* edidit. » Quod Augustinus (De consensu Evang. L. I, c. 3) confirmat scribens: « horum sane quatuor *solus Matthaes hebraico* perhibetur scripsisse *eloquio*, caeteri graeco. » — Nos igitur qui in omnibus huiusmodi quaestionibus traditionis argumentum caeteris omnino praeferebam esse profiteamur, ne hic a nobis ipsis dissentiamus, Evangelium Matthaei hebraice, idest, Syro-Chaldaice scriptum certissime tenemus. Ea quae afferunt Clericus, Erasmus, Wetstein, quibus recentior accessit Leonardus Hug, praefati argumenti vim infringere nequeunt: negativae enim afferunt rationes et leviores coniecturas: scilicet hebraicum Matthaei textum a Patribus numquam visum referri; veteres scriptores unico Papias

testimonio inniti, Syriacam Matthaei versionem extare, quae minime necessaria fuisset si Matthaeus Aramaice scripsisset, denique hebraicorum nominum interpretationes in laudato Evangelio inveniri. Verum haec omnia levissima sunt. Duo enim priora argumenta sunt mere negativa, et iis etiam admissis, vis testimoniorum, quae adducuntur, non destruitur, uti patet. Tertium ex eo falsum apparet quod Syriaca lingua, qua extat versio S. S. eadem non sit ac dialectus Palaestinensis, qua Matthaeus Evangelium scripsit. Interpretationes autem nominum hebraicorum vel in ipso textu Syro-Chaldaico necessariae aut saltem opportunae esse poterant, vel ad summum a graeco interprete repeti possunt.

Caeterum hebraicus Matthaei textus mature admodum in graecam linguam translatus est, quae versio, utpote facilioris et generalioris usus ita recepta est, ut textus in oblivionem abierit, et ipsa ad instar textus habeatur. Quis autem versionem hanc perfecit definiri nequit: ita Hieron. de Vir. Ill. c. 3: «Matthaeus qui et Levi ex publicano Apostolus primus in Iudaea propter eos qui ex circumcisione crederant Evangelium Christi hebraicis litteris verbisque composuit, quod quis postea in graecum transtulit non satis certum est.»

## II. De autographis et apographis Graeci Textus Novi Testamenti.

*Autographum* appellatur primum libri alicuius exemplar, quod ipse auctor vel manu sua, vel amanuensis opera descripsit: coetera vero exemplaria ab aliis postea exscripta *apographa* dicuntur. Operae pretium erit pauca praemittere de autographis, et apographis N. T. ad viam sternendam quaestioni de eorundem librorum conservatione et integritate.

1°. Apostoli libros suos aliquando, licet raro, manu propria describebant (Philem. 1, 19), saepius vero iuxta morem tunc receptum *amanuensi*, seu *notario* dictabant, quae postea a *librariis* elegantioribus characteribus describebantur (Rom. XVI, 22). Ad certiore[m] autem reddendam authenticam librorum vel epistolarum in hoc casu, vel familiaribus suis committebant officium ea deferendi ad Ecclesias, vel manu propria aliquid addebant, ut scimus Paulum facere solitum fuisse (2 Thess. III, 17, 1 Cor. XVI, 21). — Huiusmodi autographa librorum N. T. mature admodum intercidisse videntur.

Siquidem veteres Ecclesiae Patres contra haereticos disputantes, qui aliquando Scripturarum textum depravabant, numquam ad autographa appellant. Dubium est an ipso saeculo II desinente amplius extarent. Id quidem affirmarunt plures innixi verbis Tertulliani, qui in l. De Praescript. c. 36 ad *authenticas Apostolorum* litteras provocat: «Percurrite, inquit, Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsae authenticae ipsorum litterae recitantur sonantes vocem et repraesentantes faciem uniuscuiusque.» Verum alii observant vocem *authenticas* non necessario significare *autographas* sed solum genuinas et incorruptas, quo sensu idem Tertullianus in l. De Monogamia c. XI textum Graecum vocat *authenticum*, relate ad versionem latinam, quam in quibusdam locis minus accuratam esse contendit. Si fides est Chronico Alexandrino, autographum Evangelii Iohannis (τὸ ἰδιόχειρον τοῦ Ἐωαγγελιστοῦ Ἰωάννου) adhuc Ephesi asservabatur saeculo IV; ad illud enim provocat ibidem Petrus Alexandrinus († 311). Post haec nullum amplius de autographis Apostolorum in historia occurrit vestigium. Nec sane mirandum est autographos codices vulgari charta confectos, quotidiano usu detritos, et forte etiam persecutionum turbine dispersos mature admodum deperditos fuisse; aliunde autem eorum conservatio minimae erat necessaria Ecclesiae, cum statim plurima eorundem exemplaria accuratissime descripta per totam Ecclesiam sparsa fuerint.

2°. Nunc pauca de *apographis* Graeci Textus Novi Testamenti. Ob naturam et finem librorum N. T. fieri necessario debuit ut

apographa eorundem tum pro publico Ecclesiarum, tum pro privato fidelium usu in immensum numerum exerescerent: hinc magna manuscriptorum graecorum copia in omnibus Ecclesiae partibus praesertim vero in Ecclesiis Graecis et Orientalibus semper exiit; quorum non pauca etiam nunc post inventam artem typographicam in bibliothecis asservantur. De his pauca generatim adnotabimus ad intelligentiam eorum quae de textus Graeci integritate postea dicenda erunt (1). Itaque codices omnes manuscripti textus graeci, qui adhuc supersunt, plusquam septingenti sunt: hi vero ad usum criticum in varias classes dividuntur.

(1) Plenior historia textus Graeci, et codicum manuscriptorum accuratior notitia huius loci non sunt; sed ea reservamus ad *tertiam partem* huius Introductionis Criticae.

1<sup>a</sup>) Prima divisio, et maximi momenti est in codices *unciales*, et codices *minusculos*. Unciales dicuntur qui omnibus litteris minusculis, quas antiqui unciales vocabant, exarati sunt: minusculi vero qui caractere cursivo, ut aiunt, sunt scripti. Omnes codices antiquiores saeculo X unciales sunt, posteriores vero sunt minusculi; cum autem antiquitas codicum maxime attendenda sit, hinc apparet codices unciales minusculis longe praestantiores esse in re critica. Codices unciales Graeci N. T. nonnisi LX circiter innotuerunt, caeteri sunt minusculi.

Ut intelligatur citatio horum codicum animadvertimus a recentioribus criticis diversa ratione citari solere utriusque classis codices. Minusculi enim numeris arabicis designantur, addito plerumque nomine loci, vel bibliothecae, ubi extant ex. gr. Cod. 1 Basileensis totius N. T.; cod. 33 regius Parisiensis; cod. 347 Vaticanus Actorum et Epistolarum etc. — Unciales vero codices duobus modis citantur, vel scilicet 1<sup>o</sup> nomine proprio loci, vel personae ad quam pertinuerunt, vel pertinent, ut ex. gr. Codex Vaticanus, Codex Alexandrinus, Codex Cantabrigensis seu Theod. Bezae, Codex Coislinianus etc.; vel 2<sup>o</sup> per litteras minusculas alphabeti Latini et Graeci: ita codex Alexandrinus dicitur codex A., codex Vaticanus est codex B., codex Cantabrigensis est codex D., codex Parisinus Ephremi rescriptus est codex C.; et ita porro: aliquando etiam uterque designandi modus simul coniungitur.

Ne autem hic confusio oriatur, sedulo notandum est unam eandemque litteram plures aliquando codices designare; quando scilicet diversas N. Testamenti partes complectuntur; quae tunc exprimentae sunt ad codices distinguendos. Sub hoc autem respectu totum N. T. in quatuor Partes divisum est, scilicet — 1<sup>o</sup> Evangelia; (codices Evangeliorum) — 2<sup>o</sup> Actus Apostolorum et epistolae Catholicae; (codices Auctor. et Epist.) — 3<sup>o</sup> Epistolae Paulinae; (codices epist. Paul.) — 4<sup>o</sup> Apocalypsis; (codices Apocal.) — Paucissimi sunt codices unciales qui integrum N. T. continent, inter quos eminent codex Sinaiticus nuper a Tischendorfio inventus; plerique nonnisi unam vel alteram ex citatis partibus complectuntur, saepe etiam breviora tantum fragmenta.

2<sup>a</sup>) Altera divisio est in codices *unilingues*, et *bilingues*: prout scilicet, vel solum textum graecum exhibent, vel simul cum textu

aliquam versionem (praesertim latinam) sive interlinearem, sive a latere positam.

3<sup>a</sup>) Tertia divisio est in codices semel *scriptos*, et *rescriptos* Graece *παλιμψύκτους* (*palimpsestos*). Quod ut intelligatur, sciendum est veteres codices plerumque ex pellibus seu membranis confectos fuisse: cum autem membranae non exiguo pretio emendae essent, fiebat ut in eadem membrana his scriberetur; erasa scilicet vel diluta priori scriptura, aliquid aliud inscriberetur. At non semper prior scriptura ita deleri poterat ut nulla vestigia in membrana relinqueret. Si igitur vetus scriptura iterum suscitari possit ac legi, eaque contineat textum SS. Librorum habetur codex palimpsestus S. Scripturae. Ex his celeberrimus est codex C. qui Ephremi rescriptus dicitur, quia deleta veteri scriptura N. T. opera S. Ephrem ei superscripta fuerant. Eius Mai ex palimpsestis Vaticanis plura veterum scriptorum pretiosa fragmenta in lucem protulit.

Relate ad usum criticum istorum codicum notandum est, antiquiores criticos solitos fuisse considerare codices singillatim veluti totidem distinctos et independentes testes, ita ut, ceteris paribus, ex maiori codicum numero quaestiones dirimerentur. Verum recentiores animadvertentes plures codices similes esse inter se, et eandem lectionem praesferre, novam methodum invexerunt, iuxta quam codices in varias classes, seu *familias* distribuuntur, et eiusdem familiae codices non ut totidem distincti testes habentur sed unum dumtaxat testimonium, seu *unam*, uti aiunt, *vocem* constituunt. Hoc est celebre principium *familiarum*, seu *recensionum*, quod sufficit hic innuisse, plura enim de eo dicturi sumus in Critica verbali. Haec de codicibus manuscriptis.

Inventa saeculo XV arte typographica coepit etiam Graecus textus praelo submitti et inde ortae sunt editiones typographicae Graeci textus, quarum aliae simplices sunt, aliae vero *criticae*, scilicet ex multorum codicum collatione adornatae, additis prolegomenis, variantibus lectionibus etc. De quibus in accuratiori Textus historia suo loco pertractabimus.

Hisce breviter adnotatis, quaestio oritur an Sacer Textus in tot successivis transcriptionibus et editionibus ita integer conservatus fuerit, ut apographa, quae nunc habentur, cum autographis saltem substantialiter conveniant.

Huic quaestioni respondebit sequens

THESIS VIII.

*Textus Graecus N. T. integer et incorruptus  
quoad substantiam ad nos peruenit.*

Praemittimus 1° Aliud esse corruptionem unius, vel alterius particularis codicis, aliud corruptionem textus. Quod enim aliqui codices substantialiter corrupti fuerint opera praesertim haereticorum libenter concedimus: negamus tamen exinde textum corruptum esse. Ut enim hic corruptus diceretur, oporteret omnes codices ita corruptos fuisse ut verus ac sincerus textus perierit; quod minime factum esse contendimus; siquidem in maxima codicum parte (ex quibus nostrae editiones prodierunt) integer atque incorruptus idem textus habetur, et ex eorum collatione quorundam codicum vitia detegi, et emendari possunt. — 2° Argumenta quibus nostra Thesis ostenditur, alia sunt *indirecta*, alia vero *directa*. Indirecta vocamus quae ostendant corruptionem S. Textus fieri non potuisse, aut ostendi non posse: directa vero, quae demonstrant eam revera factam non esse, seu nullam reipsa in S. Textu corruptionem extare.

§. I. Argumenta indirecta.

1° Corruptio N. T. gratis asseritur. Sane librorum tanti momenti depravatio res est non praesumenda, sed demonstranda. Dicant igitur adversarii quo tempore et a quibus nostri libri corrupti sint, proferant codices et designent loca ubi corruptio facta fuerit: quorum omnium cum nihil ostendere possint, merito nos adversus illos urgebimus argumentum praesumptionis ac *praescriptionis*.

Verum assertio adversariorum non solum gratuita, sed etiam absurda et inadmissibilis est, consideratis temporum et personarum adiunctis. Dico itaque

2° Impossibilis fuit corruptio sive fortuita, sive dolosa ob *temporum* adiuncta. Vel enim ea facta dicitur aetate apostolica, vel epocha aliqua sequenti. Aetate Apostolica corruptio sacrorum textuum absurdissime supponitur. Quis enim ausus fuisset sub oculis Apostolorum, aut viventibus immediatis eorum discipulis tantum facinus attentare? Quod si etiam id factum fuisset aut casu acci-

disset, statim corruptio detecta fuisset et sublata. Extabant eo tempore ipsa sacrorum librorum autographa in Ecclesiis religiose asservata; recens erat memoria rerum, quae in iisdem libris describuntur; plurimi supererant ex primis librorum lectoribus parati quamlibet eorundem depravationem animadvertere ac denunciare. Restat igitur ut corruptio facta dicatur post Apostolica tempora. Verum secunda hac aetate, remotis quibusdam ex citatis impedimentis, alia plura successerunt quae sacri Textus corruptionem impossibilem reddebant. Ac 1° quidem numerus ingens codicum obstabat textus depravationi: unum enim vel alterum libri alicuius exemplar facile vitari potest; sed quomodo vitari possunt libri quorum exemplaria pene infinita sunt, per totum orbem diffusa, qui in varias etiam linguas sunt conversi et quotidiana Ecclesiarum lectione celebrati, et in plurimis sacrorum Doctorum scriptis passim allegati inveniuntur? 2° Obstabat vigilantia pastorum Ecclesiae in sacris libris custodiendis. Sane ex ecclesiastica historia scimus, quoties haeretici manus intulerunt in sacros codices eosque interpolare ausi sunt, toties Ecclesiae Pastores et Doctores adversus illos alte conclamasse quemadmodum ex. gr. Irenaeus et Tertullianus, Epiphanius et Augustinus praestiterunt adversus Marcionitas aliosque sacrorum librorum corruptores. Huc etiam pertinet magna ex parte severitas veterum Episcoporum in condemnandis Apocryphis N. Testamenti: nam plura ex illis nihil aliud erant quam libri nostri variis modis ab haereticis depravati ac interpolati, ut ex. gr. Evangelium Marcionis de quo agit Tertullianus in l. IV adv. Marc. capp. IV et V; item Evangelium Ebionitarum etc. Huiusmodi Pastorum severitas eo usque perducta est ut aliquando nimia videri possit: quo pertinet factum a Sozomeno narratum (hist. Eccl. l. I cap. 14) de quodam Triphylo, qui sermonem ad populum habens et citans verba illa Evangelii: « tolle grabatum tuum et ambula » vocem illam *grabatum* in aliam, ut ipsi videbatur, elegantiores (*scimpodion*) mutaverat: statim enim S. Spiridion Episcopus eum coram populo severe reprehendit, et e solio assurgens de templo exivit. — 3° Obstabat ipsorum fidelium consuetudo et vigilantia. Sane studium ac lectio S. Textus tum privata tum publica sollemnis semper fuit in Ecclesia; Sacrae Scripturae verba memoriae mandabant fideles eiusque codices religiose custodiebant, secumque ferebant ad solatium et tutamen, tempore praeser-

tim persecutionum. Hinc impossibile prorsus erat locum aliquem N. T. substantialiter corrumpi, quin omnes statim id animadverterent ac condemnarent. Hanc fidelium sollicitudinem apprime illustrat testimonium et exemplum S. Hieronymi, qui in praefatione ad Evangelia sese excusat a suscipienda correctione versionis N. T. ob timorem ne fidelium aures immutationibus ab eo factis quamvis opportunis, aut necessariis offenderentur. Accedit historia persecutionis sub Diocletiano Imperatore, in qua scimus plurimos fideles tormenta ac mortem passos fuisse, ne sacros codices impiis paganorum satellitibus traderent.

3<sup>o</sup> Corruptio Sacri Textus admitti nequit ob *personarum* adiuncta. Sane nulla hominum classis assignari potest, quae illam perficere potuerit. Hi enim vel pagani fuissent, vel Iudaei, vel Christiani. Atqui paganis corruptio tribui non potest. Nam praeter generales difficultates ex codicum numero etc. accedit 1<sup>o</sup>) tantam fuisse inter paganos et Christianos contrarietatem ut isti neque illis permitterent sacros codices habere, ut supra vidimus, et multo minus depravatos ab eis codices suscepissent. 2<sup>o</sup>) Si pagani libros sacros corrumpere voluissent, id sane eo fine fecissent, ut praeclara pro Christiana religione, et contra ethnicam superstitionem argumenta de medio tollerent. Atqui loca huiusmodi minime sublata sunt a sacro Textu. — Iudaeis non maiori probabilitate corruptio tribueretur ob easdem fere rationes. Siquidem ad primum quod attinet non minor semper extitit aemulatio, et simultas Iudaeorum quam paganorum adversus Christianos, nisi forte Iudaeorum maior fuit et certe diuturnior. Ad alterum vero quod pertinet, libri de quibus agimus non minus Iudaeis quam paganis infensi sunt. Continent enim ex una parte demonstrationem veritatis Christianae Religionis et Iudaici cultus abolitionem (Evangelia, Epistolae ad Galatas ad Hebr. etc.); ex alia vero parte multa Iudaeis probrosa, caecam eorum obstinationem et perfidiam, Pharisaeorum hypocrisis, Sacerdotum invidiam, Doctorum arrogantiam (Evangelia, Actus App. etc.), Iudaeorum vanas traditiones et superstitiones et similia, quae tamen omnia intacta manent in codicibus nostris, ut ex his Iudaicam perfidiam revincere possimus. Restat igitur ut Christianos de sacri textus corruptione accusemus. Verum haec postrema hypothesis caeteris absurdior est. Vel enim fingitur aliquos Christianos sacros libros depravasse, vel omnes simul in hoc

facinus conspirasse: utrumque absurdum. Quod enim aliqui inter Christianos pauca exemplaria depravaverint, et fieri potuit et revera factum esse constat, sed eorum temeritas a caeteris ita condemnata est et eorum interpolationes ita celebres in Ecclesia factae sunt (loquor de haereticis Marcionitis, Valentinianis aliisque similibus) ut eorum scelus non parum integritatis sacrorum librorum causam promoverit. Quod autem omnes Christiani in hanc fraudem consenserint repugnat 1<sup>o</sup> *moraliter*, cum tam ingens usque ab initio fuerit eorum numerus, tam diversae gentes, tam variae apud eos oppositae opiniones ac sectae, tam diversa temporum et locorum adiuncta; quare absonum prorsus esset omnium conspirationem in codicibus omnibus eodem modo corrumpendis suspicari quin ullum istius fraudis indicium umquam detectum fuerit. Repugnat 2<sup>o</sup> ipsi historiae ex qua scimus Christianos universim sumptos, nedum Scripturas corrumpere voluerint, potius eas religiose custodisse et corruptioni vehementer obstitisse.

#### §. II. Argumenta directa;

quae quidem in *externa* et *interna* dividi possunt.

##### A. Argumenta directa *externa*.

Notio integritatis, ut superius innuimus, affinis prorsus est notioni genuinitatis, et eius veluti extensio et applicatio ad singulas libri partes habenda est: integer enim erit liber et incorruptus, cuius singulae partes et in eo statu in quo nunc sunt, ab auctore prodierunt; corruptus autem erit si alterius manu aliquid insertum vel immutatum fuerit. Ex hoc sequitur eadem argumenta quibus librorum N. T. genuinitas demonstrata est, si ulterius urgeantur, eorum etiam integritatem demonstrare.

Quare urgemus in primis argumentum ex constanti Ecclesiae testimonio ac traditione.

1<sup>o</sup> Per singulas Ecclesiae aetates invenimus nostros libros in Ecclesiae possessione ac usu, ac firmam omnium fidelium persuasionem, quod si ipsi essent libri ab Apostolis conscripti: ergo constat de *identitate* horum librorum ab aetate Apostolica usque ad nos. Crescit vis argumenti, si consideretur natura istius testimonii; quod directe et per se singulas librorum partes respicit: Ecclesia enim et Patres singulas eorum partes citant, fidelibus proponunt, hae-



reticis opponunt, commentantur, omnesque ac singulas nullo facto discrimine ut verba Christi et Apostolorum habent. — Hinc veteres Ecclesiae Patres hoc ipso argumento traditionis utebantur tum pro genuinitate tum pro integritate SS. Librorum: ita Tertullianus adv. Marc. l. IV c. 4, 3 loquens de corrupto a Marcionitis Evangelio Lucae ait: « Ego meum (Evangelium Lucae) dico verum, Marcion suum. Quis inter nos determinabit nisi temporis ratio, ei praescribens auctoritatem quod antiquius reperietur, et ei praedicans vitiolationem quod posterius revincetur? In quantum enim falsum corruptio est veri, in tantum praecedat necesse est veritas falsum... Dico itaque apud illas (Ecclesias Apostolicas) nec solum iam Apostolicas, sed apud universas quae illis de societate sacramenti confoederantur, id Evangelium Lucae ab initio editionis suae stare, quod cum maxime tmemur, Marcionis vero plerisque nec notum, nullis autem notum ut non eo damnatum..... Eadem auctoritas Ecclesiarum caeteris quoque patrocinabitur Evangelis etc. » Similia habet Augustinus respondens Manichaeis, qui de corruptione SS. Librorum Catholicos accusabant (adv. Faustum Manich. l. XXVIII. XXXII et al.).

2° Ex collatione codicum idem ostenditur.

Si nullos haberemus codices N. T. nisi recentioris aetatis, posset forte suboriri dubium, an conformes sint protographis, vel autographis eorumdem librorum. Verum de facto habemus codices et editiones omnium aetatum; ita ut retrocedentes per varias Ecclesiae epochas usque ad saeculum III comparare possimus nostrum textum cum illo quem ante nos legerunt Ecclesiae et Patres. Ubi vero desinunt codices (nullos enim habemus antiquiores saeculo IV) opportune subveniunt opera Sanctorum Patrum, qui tribus Ecclesiae saeculis floruerunt; in his enim operibus copiose allegatus invenitur textus Graecus N. T. ex. gr. apud Clementem Alexandrinum, Origenem, Irenaeum, Clementem Romanum aliosque, praesertim illos qui commentarios in N. T. scripserunt, ubi integra SS. Librorum testimonia recitant. — Accedunt versiones, quarum multae omnibus hodie extantibus codicibus antiquiores sunt, et ex quibus apparet quid et quomodo eorum aetate legeretur in Graeco Textu, unde derivatae sunt. Porro facta huiusmodi comparatione, apparet Graecum N. T. textum semper eundem quoad substantiam fuisse, eundemque nos textum in nostris editionibus habere, quem

Patres primitivae Ecclesiae legebant. Hinc merito Augustinus in lib. de utilitate credendi (III, 7): « Nihil mihi, inquit, videtur ab iis (incredulis) impudentius dici, vel, ut mitius loquar, incuriosius et imbecillius, quam Scripturas divinas esse corruptas cum id nullis in tam recenti memoria extantibus exemplaribus possint convincere. » — « Quisquis enim (addit in l. XXXII c. Faustum c. 16) hoc primitus ausus fuisset, multorum codicum vetustiorum collatione confutaretur: maxime quia non una lingua sed multis eadem Scriptura continetur. Nam etiam nunc nonnullae codicum mendositates, vel de antiquioribus codicibus, vel de lingua praecedente emendantur. »

Hisce accedunt

B. Argumenta directa interna.

1° Corruptionis vestigia nulla occurrunt: nulla styli varietas, nulla contextus violenta abruptio vel perturbatio, nulli in contextu hiatus etc. quae tamen indicia vix abesse possunt in libris interpolatis et corruptis.

2° Intacta manent in nostro textu ea omnia loca, ad quae auferenda sive haeretici, sive superstitiosi aliqui orthodoxi motiva validissima habebant: et e contra ea desunt, ad quae inserenda valide sollicitabantur, puta testimonium aliquod magis explicitum de processione Spiritus Sancti a Patre simul et Filio, de ratione sacramenti in matrimonio, de necessitate confessionis auricularis, cum haeticis valde opportuna fuissent.

3° Cum Ecclesiae traditio et oralis praedicatio complectatur omnia ea quae olim in libris sacris scripta fuerunt, si aliquid ex his substantialiter immutatum fuisset, statim oriretur discordia inter scripturam et traditionem. Atqui huiusmodi discordia nunquam apparuit. Ergo.

### §. III. Obiectionum solutio.

Plura sunt quae adversarii contra N. T. integritatem obiiciunt, quae tamen possunt ad duas classes commode revocari; vel enim *generatim* impetunt omnes N. T. libros, vel *speciatim* unam aut alteram ipsorum partem seu pericopam. Ut igitur adversariis satisfaciamus, primum aliquid hic dicemus de generalibus obiectioni-

bus, tum vero speciales difficultates distinctis Thesis breviter expendimus.

*A. Difficultates generales.*

*Obit.* 1° Manichaei apud S. Augustinum (in libris c. Faustum) Christianos de corruptis codicibus accusabant: — idem etiam fecerunt pagani, inter quos Celsus (apud Origenem in l. II c. Celsum c. 27) ait: « Postea ex fidelibus esse qui similes illis quos ebrietas impellit ut sibi manus inferant, primi Evangelii textum ter, quater, pluries mutant, pervertuntque ut habeant quo res sibi obiectas inficiantur. » — Ergo constat primis Ecclesiae saeculis Textum N. T. a Christianis fuisse corruptum.

*Resp.* Admissis testimoniis negamus consequentiam. Nam 1° quidem impossibilem fuisse corruptionem sive Christianis, sive aliis superius demonstratum est: atque ita Augustinus respondet Manichaeorum calumniae in locis superius citatis. — 2° Tum Manichaeorum tum paganorum accusatio commode potest ad haereticos nonnullos referri, quos quidem ultro concedimus sacros codices aliquando corrupisse. Ita Celso respondet Origenes in citato loco: « Equidem, inquit, non alios novi qui Evangelii contextum immutaverint, quam Marcionis, Valentini fortasse et Lucani sectatores. Id vero criminis ipsius Evangelii non est: in culpa sunt qui Evangelium depravare audent. » — Non solum autem horum crimen orthodoxis imputandum non est, sed neque ulla ratione potuit eorum codicibus et sacri textus integritati nocere, ut ex dictis clarissime patet. — 3° Adde etiam verba Celsi de variationibus inter nostra quatuor Evangelia extantibus intelligi posse, quas ille fortasse ex ignorantia vel praedicio pro unius eiusdemque Evangelii corruptionibus habere potuit. — 4° In genere autem quod pertinet ad huiusmodi calumnias observamus veteres illos hostes Christianae Religionis immerito contra nos afferrī, sunt enim iudices in hac re prorsus incompetentes. Imprimis enim temere, et incognita causa adversus Christianam religionem plerumque scribebant, ut Christiani apologistae illis exprobrant, et argumentis ostendunt: deinde manifestum est eos immani odio adversus Christianos obcaecatos fuisse, et cum nihil solidi possent afferre ad calumnias confingere solitos. Notavit hoc Augustinus in l. XI. c. Faustum Manich. c. 2 ubi Manichaeos hisce verbis compellat: « O vocem a veritate fugacem, et in amentia pertinacem! Usque adeo

invicta sunt, quae adversus vos de divinis codicibus proferuntur, ut non sit aliud quod dicatis, nisi eos esse falsatos... Vides in hac re quid Ecclesiae Catholicae valeat auctoritas, quae ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum usque ad hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie et tot populorum consensione firmatur. »

*Instant* 2° Non solum hostes Ecclesiae, sed etiam eius Doctores de textus corruptione conqueruntur. — S. Hieronymus in praefatione ad Damasum super Evangelia ait: « Magnus siquidem hic in nostris codicibus error inolevit dum quod in eadem re alius Evangelista plus dixit in alio, quia minus putaverint, addiderunt: vel dum eundem sensum alius aliter expressit ille qui unum e quatuor primum legerat, ad eius exemplum ceteros quoque existimaverit emendandos. Unde accidit ut apud nos mixta sint omnia, et in Marco plura Lucae ac Matthaei, rursus in Matthaeo plura Iohannis et Marci, et in caeteris reliquorum, quae aliis propria sunt, inventiantur. »

*Resp.* 1° Testimonium Hieronymi non graecum textum, sed Latinam N. T. versionem respicit; siquidem idem S. Doctor praefatam codicum corruptionem consulis graecis exemplaribus antiquioribus emendavit ac sustulit, ut in ipsa citata Praefatione narrat. 2° Confusio illa de qua S. Doctor conqueritur in accidentalibus tantummodo occurrebat, eaque plerumque consistebat in brevibus quibusdam adnotationibus declarativis ex aliis Evangeliiis desumptis. Quod quidem ex ipso Hieronymi facto constat; cum enim ad emendationem ventum est, nonnisi levissima quaedam necessario corrigenda invenit, ut patebit consulentibus commentarios S. Doctoris in N. T. et comparantibus Hieronymianam editionem cum antiquiori versionis Latinae statu prout in nonnullis codicibus infra citandis adhuc superest. Quod autem pertinet ad graeci textus integritatem eam Hieronymus ut certam habebat: nam et graecum textum tamquam unicam normam suae correctionis habuit, et disputans contra Helvidium: « Stultissime, inquit, tibi persuasisti graecos codices esse falsatos » (cap. 16).

*Instant* 3° Quatuor Evangeliorum textum initio saeculi VI opera Graeci Imperatoris corruptum fuisse ex historia constat. — Sane Victor Tanonensis in Africa episcopus saec. VI in suo chronico scribit: « Messala consule a. 505. Constantinopoli iubente Anastasio Imperatore, sancta Evangelia tamquam ab idiotis Evangelistis

composita, reprehenduntur et emendantur » (Patrol. lat. to. LXVIII col. 950). Eadem repetit paulo post S. Isidorus Hispalensis († 636) in Chronico: « Anastasius, inquit Acephalorum errorem vindicans, episcopos Chalcedonensis synodi defensores exilio damnavit. Evangelia quoque tamquam ab idiotis Evangelistis composita reprehendit et emendat. » - Ergo saeculo VI ineunte textus N. T. corruptus est (1).

*Resp.* 1° Factum ipsum ab adversariis assertum merito negari potest, vel ita dubium reddi, ut nihil exinde contra thesim iam demonstratam concludere liceat.

Sane ex una parte suspicionem ingerit contra huius facti veritatem silentium omnium historicorum coaevorum, quorum auctoritas maior est quam Victoris, uti sunt Cedrenus, Evagrius, Procopius aliique: quorum silentium magnam vim habet; nam et in Imperio Orientis flourerunt, et singula Anastasii gesta referentes eius famae minime pepercerunt, nihilque de eius erroribus et criminibus dissimularunt. Ex alia vero parte Victor ille longe a sede imperii in Africa degens facile decipi potuit falsis vulgum-rumoribus. Anastasius enim Imperator utpote fautor Acephalorum et Catholicorum Episcoporum persecutor Christianae plebi exosus erat; quare eius vitia exaggerabant, eique plura tribuebant quorum reus non fuerat; inter quae potest referri etiam praedicta Evangeliorum corruptio. Tanto autem facilius id credere potuit Victor, quo magis ipse immodicus erat defensor Synodi Chalcedonensis et trium Capitulorum etiam contra decreta Vigili et Iustiniani Imperatoris, a quo etiam ea de causa in exilium actus est. - Quare dubium admodum est illud factum a Victore narratum. - Accedit quod Liberatus diaconus eiusdem aetatis scriptor in Breviario historiae Ecclesiasticae c. XIX aliquid omnino contrarium refert de Anastasio: eum scilicet Macedonium quemdam Episcopum e Sede sua expulisse, et exilio multasse eo quod Sancta Evangelia falsare ausus fuisset (2).

(1) Huic argumento praecipue inmittitur Collins in opere: *Sur la liberté de penser.*

(2) Liberatus Diaconus in suo *Breviario historiae Ecclesiasticae* cap. XIX scribit: « Hoc tempore Macedonius Constantinopolitanus Episcopus ab Imperatore Anastasio dicitur expulsus, tamquam Evangelia falsasset, et maxime illud Apostoli dictum quod apparuit in carne etc. (1 Tim. III, 15). »

Quod pertinet autem ad Isidorum evidens est eum Victorem exscribere, ut etiam in aliis quibusdam: isdem enim Victoris verbis utitur.

*Resp.* 2° Admisso facto negamus consequentiam. Aliud est enim corruptionem textus tentare, aliud perficere. Nam 1° impossibile fuisset huic Principi omnes corrumpere codices, quorum plurimi extra provincias imperii Orientis disseminati erant; nec intra fines ipsius imperii id perficere potuisset, cum fideles et Episcopi sine dubio id fieri non permisissent, ac sacros codices surripissent, quem admodum fecerant ex. gr. sub Diocletiano Imperatore. 2° Codices sacros universim sumptos minime ab Anastasio corruptos fuisse factum ipsum ostendit; aliquot enim adhuc extant exemplaria graeca antiquiora Anastasio Imperatore, plures etiam versiones; cum iis si compararentur codices saeculo VI et deinceps conscripti, etiam Constantinopolitani, concordēs in omnibus inveniuntur: nec in istis ulla apparet maior elegantia ex Anastasii emendatione repetenda.

*Resp.* 3° Etiam si per absurdum hypothesim daremus adversariis Anastasium corruptionem non tentasse modo, sed etiam perfecisse, et quidem in omnibus codicibus, adhuc demonstrandum superesset eam fuisse corruptionem substantialem; quod adversarii ostendere nequeunt. Certe verba Victoris, et Isidori, quibus tantummodo innotuit historiola haec, contrarium suadent; cum clarum sit de rudi et inculto Scriptorum sacrorum stylo eos loqui, qui Graeci Imperatoris aures offendeat, potius quam de rerum substantia.

*Obiic.* 4° corruptionem in textu N. T. de facto existere. - Sane collatis inter se codicibus atque editionibus eiusdem textus quam plurimae discrepantiae inventae sunt, quas *variantes lectiones* critici appellant. Iohannes Millius triginta millia harum variantium lectionum notavit in sua editione N. T. elapso saeculo: ex recentiorum autem studiis earum numerus ita auctus est ut ad duplum fere ascenderint. Imvero textus qui tam immensum corruptionum numerum sabierit etiamsi leves eae supponantur, sine dubio substantialiter corruptus dicendus est: ergo etc.

*Resp.* variantium lectionum existentiam, earumque numerum minime officere substantiali textus integritati, quin imo illam multis modis invare. Et 1° quidem variantes lectiones a criticis collectae non nocent integritati substantiali sacri textus. Sane omnes illae varietates levissimae prorsus sunt ita ut longe maior earum pars neque

variantium nomine proprie dignae sint. Millius enim, aliique critici incredibili patientia ac labore codices omnes excusserunt, ac minimas quascumque differentias notarunt, ut ex. gr. in vocabulorum orthographia, in accentibus et spiritibus, in usu articuli determinati, in synonymarum vocum substitutione aliisque similibus quae ab attento lectore statim animadvertuntur et emendantur: hisce autem non contenti versiones antiquas consuluerunt, et opera SS. Patrum expilarunt ubicumque pars aliqua sacri textus citata occurrit, atque ita numerum variantium auxerunt. Itaque maxima pars variantium nullius sunt momenti, paucissimae sensum immutant, nulla autem doctrinae aut historiae substantiam. — At enim, inquit adversarii, discrepantiae huiusmodi si non singillatim sumptae, saltem complexive officiant textus integritati. — Huiusmodi adversariorum instantia in falso rei conceptu fundatur; supponunt enim variantes illas lectiones in unum coalescere ita ut ex plurimis parvis corruptionibus magna aliqua corruptio exurgere possit. Quod quidem falsum atque absonum est. Non enim unus idemque codex omnes illas mutationes continet, sed alii alias, ita ut quod male legitur in uno recte legatur in alio, atque ita unus alterum emendet, ut infra melius declarabimus. Quapropter leviorum varietatum numerus quantumvis magnus gravem corruptionem nunquam efficere potest. Confirmatur hoc exemplo profanorum librorum eiusdem vel maioris antiquitatis ac libri N. T.: in horum enim exemplaribus quamplurimas et graviores etiam discrepantias critici notarunt, quin tamen inde ipsi libri substantialiter corrupti dicantur. Quod si numerus variantium lectionum in profanis libris non ita ingens sit ac in textu N. T. reolendum est 1° numerum exemplarium horum librorum exiguum prorsus esse, si comparetur cum numero codicum N. T.; 2° non eadem diligentia istos codices fuisse collatos: in textu enim N. T. expendendo diuturno et pertinaci labore omnis generis homines insudarunt sive bono sive malo animo affecti, quod in profanis codicibus nunquam certe factum est. — II° Diximus variantium lectionum numerum causam integritatis sacri textus maxime *invare*. Et sane in primis tanta inter codices varietas in accidentalibus coniuncta cum tanta concordia in rerum substantia clarissime ostendit sacrum textum in diversis et ad invicem independentibus instrumentis in universa Ecclesia semper fuisse religiose custoditum, ita ut nulla substantialis immutatio in eum irrepere permitteretur.

Accedit etiam collectionem variantium lectionum possibilem atque adeo facilem reddere emendationem textus etiam in accidentalibus: falsae enim unius codicis lectiones ex aliis codicibus corrigi possunt, et ubi plures probabiles lectiones occurrunt locus datur examini ac iudicio comparativo, quaenam caeteris praeferenda sit. Hinc quo plures inveniuntur libri alienius codices eo facilius est correctam eiusdem editionem dare, ut accidit ex. gr. de comoediis Terentii, et de Tullii operibus, quorum editiones accuratissimae sunt; contra vero ubi pauciores sunt codices, et pauciores inventae sunt varietates, impossibile saepe est textum accurate emendare, ut accidit ex. gr. de Hesychio, et Vellerio Paterculo. Sed de his plura in Critica verba.

Urgent adversarii non solum leviores mutationes, sed etiam gravissimas et omnino substantiales in sacro Textu factas esse, quae cum speciales quosdam locos respiciant constituunt

#### B. *Difficultates speciales.*

Speciales huiusmodi difficultates aliquando unam vel alteram sententiam respiciunt ex. gr. 1° Cor. XV, 51 ubi de mortuorum resurrectione agitur, 1° Ioh. V, 7 de tribus testibus in coelo et alia nonnulla. — Aliae vero longiores respiciunt pericopas praesertim Evangeliorum. Nos primam locorum classem remittimus ad *Criticam verbalem*; de altera classe hic breviter agemus.

Pericopae autem illae quas adversarii dicunt intrusas per interpolationem in sacrum textum sunt sequentes: Matth. I, II, ubi de Christi genealogia et infantia sermo est, Marci XVI, a vers. 9 usque ad finem: in Evangelio Lucae XXII, vers. 43, 44 de sudore Christi sanguineo et Angeli apparitione: denique in Evangelio Iohannis duae pericopae, altera cap. VIII, vers. 4-12 de muliere adultera, et integrum cap. XXI postremum eiusdem Evangelii.

Has igitur partes paucis defendendas suscipimus.

#### THESIS IX.

*Duo priora Matthaei capita genuina sunt.*

I. Ea quae contra praedictam pericopam afferri solent, ad haec revocantur.

1° Duo priora Matthaei capita in vetusto Ebionitarum Evangelio secundum Matthaem deerant.

2° Marcus qui Matthaenum presse sequitur, eiusque veluti compendium exhibet, totam Christi infantis historiam in iis capitibus narratam omittit.

3° Facta in laudata pericopa descripta in aliis Apostolorum scriptis nunquam commemorantur, nec ulla ad ea fit allusio: quin imo per ea quae habet Lucas cap. I de Christi infantis circumcisione, praesentatione in templo, ac commoratione in Nazareth prorsus excludi videntur.

II. Attamen laudata duo capita adscititia non esse evidenter ostendit consensus omnium instrumentorum criticorum. - 1° Omnes enim quotquot extant Matthaeci codices hanc partem continent exceptis illis, qui in principio mutili sunt, ex quibus nullum argumentum desumi potest. Fatemur quidem nonnullos graecos codices incipere a vers. 48, cap. I. Verum hi omnes reliquam partem primi capituli et integrum caput secundum exhibent: primos autem illos versiculos omisisse dicendi sunt, quod pars illa exhibens Christi genealogiam potius ut praefatio Evangelii quam ut ipsius Evangelii pars haberetur; quod critici recentiores cum Griesbachio confirmant ex eo quod codices omnes manuscripti huius Evangelii per titulos et sectiones divisi, primam sectionem non numerant, sed caput primum a secunda sectione inchoant. - 2° Ad versiones quod attinet, nulla est ex antiquis ac probatissimis versionibus quae laudata capita non praeseferat. Legitur enim in versione Itala, in Syriaca utraque, in Copticis ac in caeteris omnibus. - Addimus 3° pericopam nostram ab antiquissimis Ecclesiae patribus citatam inveniri. Ad eam appellant Iustinus in Apol. I, n. 33, 34 et in Dial. n. 88, 100, 102, 103, Irenaeus adv. haer. III, 11, Tertullianus in libro V, adv. Marc. cap. 9 alique veteres Doctores passim. Hisc addimus testimonium Celsi apud Origenem (contra Cels. l. I, n. 40, 58, 66; l. II, n. 3), item haereticos Cerinthianos, et Carpocratianos apud Epiph. haer. XXX, cap. 14. - Denique nota est controversia apud SS. Ecclesiae Patres de conciliando Matthaeo cum Luca circa Christi genealogiam, de qua scripserunt Africanus saec. III, Eusebius, Augustinus et plures alii. Quae tamen controversia evidenter supponit primum caput Matthaeci ut genuinum habitum fuisse. - 4° Internum etiam argumentum pro re nostra suppeditat initium cap. III: « In diebus autem illis venit Iohannes Baptista... » quod aliquid praecessisse in historiae contextu supponit.

III. Adversariorum argumenta nullo negotio solvantur. - 1° Textum Matthaeci apud Ebionitas duobus primis capitibus caruisse ultro concedimus, et ratio est quia illi sacrum textum mutilaverant ne cogerebant admittere Christum ex matre Virgine natum. Caeterum ipsi suam fraudem aperiebant incipientes Evangelium hisce verbis « *In diebus Herodis regis Iudaeae factum est ut veniret Iohannes Baptista...* » ubi maximus anachronismus continetur: Herodes enim Iudaeae rex iamdiu mortuus erat cum Iohannes suam praedicationem auspicatus est, eumque Ebionitae ex ignorantia confundebant cum Herode Tetrarcha qui in Galilaea tunc regnabat (V. Epiph. haer. XXX, c. 14). - 2° Quod Marcus omittat historiam Christi infantiae nihil probat adversus eius historiae authenticam apud Matthaenum: propositum enim erat Marco non omnia referre, sed breve tantum compendium tradere eorum quae Christus Dominus gessit in publica sua vita et praedicatione, in qua etiam narranda plura alia omittit, quae in Matthaeo etiam adversarii admittunt ex gr. totum sermonem Christi in monte Matth. V-VIII. - 3° Ad postremam obiectionem internam respondebimus in alio loco, ubi de factis Christi infantis ab utroque Evangelista Matthaeo, et Luca narratis simul componendis specialem instituemus quaestionem.

#### THESIS X.

*Immerito contendit Tischendorfus postremos duodecim versiculos Evangelii secundum Marcum (XVI, 9-20) ad originarium eiusdem Evangelii textum non pertinere.*

#### §. I. Rationes dubitandi de Marci XVI, 9-20.

1° Deest huiusmodi pericopa in codicibus antiquissimis optimae notae uti sunt Codex B. Vaticanus, Codex Sinaiticus, Codex L. Parisiensis, item in Codicibus versionis Armenicae Venetis, et versionis Arabicae Vaticanis, in uno codice Italae (Cod. Bobbiensi).  
2° In quibusdam Codicibus minusculis ex. gr. 137, 138 asterisco notatur. In aliis autem ut ex. gr. in cod. 274, et in versione Philoxeniana, quibus praeiverat laudatus codex L. alia clausula post

versiculum 8 apponitur ad complendum Evangelium hisee verbis: « Omnia vero haec mandata iis qui cum Petro erant breviter narrarunt (mulieres). Post haec autem et ipse Iesus ab Oriente usque ad Oceanum misit per ipsos sanctam, et incorruptam praedicationem aeternae salutis. »

3° Quod autem magis est, etiam tribus prioribus Ecclesiae saeculis, scilicet ante epocham omnium exemplarium nunc extantium, laudata pericopa non legebatur in plerisque, et accuratioribus codicibus. Constat id ex testimoniis Eusebii, Hieronymi et Gregorii Nysseni; quorum primus in epist. ad Marin. quaest. 1<sup>a</sup> (apud Card. Mai Collect. nova Vol. I, pag. 31) ait Evangelium Marci in omnibus fere exemplaribus finiri verbis: *Timebant enim* (ἐφοβοῦντο γὰρ v. 8), et eiusdem Eusebii canones pluribus Codicibus adiecti (ex. gr. Cod. A, U, et pluribus minusculis) non pertingunt nisi usque ad v. 8. Hieronymus autem in epistola ad Hedibiam quaest. 3 affirmat sectionem nostram in *raris ferri Evangelis, ac in omnibus paene Graeciae libris desiderari* (1). Denique Gregorius Nyssenus Orat. 2 de Resurrectione refert in *accuratioribus* exemplaribus caput XVI finiri verbis: *timebant enim*.

Quibus rationibus permotus clarissimus Tischendorfus in sua editione VII N. T. graeci sectionem istam ut spuriam traducit, quamvis eam in textu retinendam censuerit (pag. 324-325).

1° Accedunt rationes internae. - Nam imprimis tota haec pericopa a stylo reliqui Evangelii differt, et brevem compilationem ex aliis Evangelis factam redolet; deinde quae leguntur versiculo 9: « Surgens mane... » contradicunt Matth. XVIII, 1: « Vespere autem Sabbati...; » denique apparitionis Iesu in Galilaea vers. 7 promissae nullam facit mentionem.

(1) Respondens enim difficultati ex Marc. XVI, 9 coll. Matth. XXVIII, 1 circa horam resurrectionis Domini: « Huius, inquit, quaestionis duplex solutio est. Aut enim non recipimus Marci testimonium: quod in raris fertur Evangelis, omnibus pene Graeciae libris hoc capitulum in fine non habentibus, praesertim cum diversa ac contraria caeteris Evangelistis narrare videatur; aut hoc respondendum est: quod uterque verum dixerit; Matthaeus quod Dominus surrexerit vespere Sabbati etc... »

## §. II. Argumenta pro authenticis Marci XVI, 9-20.

Ex ipsis documentis a cl. adversario diligenter enumeratis contraria prorsus conclusio sequitur, nempe sectionem de qua loquimur genuinam esse, quemadmodum revera fere omnes recentiores critici tum Catholici tum etiam Protestantes concludendum existimarunt ut Millius, Matthaei, Bengel, Wetstein, Alter, Birch, Hug, Scholz aliique: siquidem omnia critica instrumenta in ea referenda consentiunt, exceptis paucis illis supra citatis, scilicet - 1° consentiunt omnes codices manuscripti praeter tres laudatos: codex D. septem priores versiculos 8-15, seu partem potiore exhibet caeteros autem alia manu adiectos. Constat etiam sectionem nostram extitisse in recensionibus N. T. saeculo III factis ab Hesychio, Origene et Luciano. Denique Victor Antiochenus saec. IV testatur eam lectam fuisse in *accuratis* plerisque codicibus: en Victoris verba ex catena in Marcum XVI, 9: « Nos autem *ex accuratis exemplaribus*, quoniam haec in plerisque codicibus invenimus, secundum Palaestinense Marci Evangelium, sicut veritas habet, posuimus et Dominicam resurrectionem quae in illo legitur post verba *timebant enim*. » - 2° Angetur vis argumenti ex testimonio versionum antiquarum sive Orientalium sive Occidentalium, quae omnes nobis favent: nempe Itala (excepto uno Codice sup. cit.), Vulgata, Syriaca simplex, Syriaca Philoxeniana, et alia a Cureton edita, Armenica, exceptis paucis codicibus, Aethiopica, Gothica, ac reliquae omnes: quarum plures antiquiores sunt testibus ab adversario productis. - 3° Denique allegati inveniuntur versus, de quibus agimus, apud plures antiquos scriptores etiam ante aetatem Hieronymi et Eusebii. Irenaeus adversus haereses lib. III, c. 2 citat versiculum penultimum his verbis: « In fine autem Evangelii ait Marcus: et quidem Dominus Iesus postquam locutus est eis receptus est in caelo, et sedet ad dexteram Dei. » S. Hippolytus initio libri de Charismatibus allegat vers. 18. Etiam Iustinus in Apol. I, n. 45 ad hanc Marci pericopam respicere videtur. Idem dicendum est de aliis pluribus scriptoribus ecclesiasticis; ut sunt auctor Constit. Apost. VI, 15, VIII, 1. - Synopsis Athan. n. 48. - Caesarius Const. dial. 4. - Clemens Alex. - Dionysius Alex. - Augustinus lib. III de consensu Evangelistarum